

nullam effectricem vim habens, atq; ad omnes corporeas mutationes subeundas idonea, in quam causarum patientium ordo terminetur: hoc autem nihil aliud, quam materia. *Ex compositione* his verbis: Omne Ens naturale ex formâ & aliquo subjecto coalescit, alioqvi non esset compositum Physicum: vel ergò illud subjectum ex alio atq; ita in infinitum; vel deveniendum erit ad unum, quod ex alio concretum non sit. Atqvi non est admittenda infinita illa progressio, siquidem non datur infinitum in naturâ. Fatendum ergò erit, dari aliquod subjectum, quod ex alio priori non sit, atq; ad id materiam. *Piccolomineus l.1. Phys. p. 205. seqq.* probare conatur existentiam materiae primæ *ex contrarietate principiorum*; sicut *Ferrius l.5. c. 4. p. 283. ex subordinatione essentiali*, Unde ille: Principia sunt contraria, contraria commune desiderant subjectum, quod modò sub hoc, modò sub illo sit. Ergò datur Materia prima. *Hic*: Si non daretur Materia prima, non etiam essent aliæ materiae: nam posteriores materiae sustentantur à prioribus, & nisi daretur materia prima, essent in re naturali infinitæ materiae.

§. 3. *Quidnam* verò Materia Prima in se sit, ipsorum Peripateticorum consensu res operosior est, quam ut determinari ac declarari satis queat. Enimverò confitentur ingenuè *Conimbricenses*, materiam ignorando cognosci & cognoscendo ignorari, & comparat hanc *Ægidius* cum tenebris ita, ut quemadmodum tenebræ non videndo percipiuntur, percipiendo non videantur; sic materia tunc percipiatur, cum nullus in eâ actus cognoscitur; tunc ignoretur, cum actus apprehenditur. Hinc videas tot lites, quas de actu Materiae primæ agitant acerrimè *Cadmæi fratres*, quando quærunt, an ipsa actum aliquem in se habeat, an verò actu omni sit destituta? *Conimbricenses l.1. c. 9. q. 3. art. 1. p. 198. seqq.* Materiae omnem actum, entitativum quoq; negant. Quibus cum facit *Zabarella l.2. c. 1. seq.* Prima materia, *inquiens*, secundum se non habet actum *Item*: Si actus sumatur pro eo, quod est actu existere, quem formæ effectum esse diximus, materia prima non per se est actus, sed per formam. *Iterum*:
Materia